

DE SCHOLAE CATHOLICAE LIBERTATIS EXERCITIO IN SAECULO XIX ET XX INEUNTE*

4. LEONIS XIII MAGISTERIUM CIRCA QUAESTIONEM SCHOLASTICAM (1878-1903)

Introductio

Iudicia fundamentalia LEONIS XIII de problema-
te scholarum ita componi possunt:

a) Philosophia magni habenda, quia basem ad
scientiarum studium atque ad rationabilem receptio-
nem Revelationis constituit.

b) Inter artium studium et instructionem religio-
sam integrationem instituere necessarium est.

c) Propterea, schola «neutra» tamquam nefas
censenda esse videtur, quia non solum personae auxi-
lium denegat, sed etiam destructionem affert.

d) Secta «massonica», speciatim sicut radicum
christianarum dissolutrix tenetur. Postulatio autem
moralem «civicam» docendi non ad personae forma-
tionem sufficit.

e) Periculum efformandi homines impios, incre-
dulorumque generationem, societati nefastam, exi-
stit.

f) Ius educandi semper pertinet ad parentes, et
unquam aliis cedendum est.

g) Non licet affirmare principium «libertatis do-

* Continuat a *Periodica* 81 (1992) 425-467.

cendi», quia adulescentes, cum professores «liberos» habent, incapaces discriminis sunt, et ita protectione a perversis doctrinis non gaudent.

h) Ecclesia, altissima magistra hominum, instructionem exercitare debet.

i) Fides scientiae corona est, ac natura religioni auxilium praestat. Propter quod nunquam scientia a religione separari licet.

Explicatio quorundam

LEONIS XIII documentorum

Paucis diebus post sui Pontificatus initium, LEO XIII litteras *Inscrutabili*¹⁰¹ publicavit; in quibus in methodologiam instructionis educationisque oportere progredi, atque in lectionibus scientiarum et litterarum iuxta catholicam fidem magistros se gerere affirmavit.

Romanus Pontifex, in alteris epistulis scribebat: «(...) Ac primo quidem ad societatem domesticam quod attinet, interest quam maxime susceptam e coniungio christiano sobolem mature ad religionis praecepta erudiri; et eas artes, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, cum institutione religiosa esse coniunctas (...)»¹⁰².

Valde periculosum est pueros in viam «neutralitatis» erga Deum educare, quia id in atheismum perducit. Igitur, «(...) omnino parentes bonos curare oportet, ut sui cuiusque liberi, cum primum sapere di-

¹⁰¹ LEO XIII, Litt. enc. *Inscrutabili* (22.IV.1878), in *Act. Leon.*, I, 44-58; *ASS* 10 (1877-1878) 585-592.

¹⁰² Litt. enc. *Nobilissima Gallorum gens* (8.II.1884), in *ASS* 16 (1883-1884) 241-248; *Act. Leon.*, 4, 10.

dicerunt, praecepta religionis percipiant, et ne quid occurrat in scholis quod fidei morumve integritatem offendant. Et ut ista in instituenda sobole diligentia adhibeatur, divina est naturalique lege constitutum neque parentes per ullam causam solvi ea lege possunt»¹⁰³.

Anno 1884 LEO XIII novas litteras encyclicas publicavit¹⁰⁴: omnibus prodest in memoriam revocare litteras *Diuturnum illud*¹⁰⁵, ideo sectae massonicae periculum intelligere, quia illa tamquam contraria iustitiae atque morali naturali esset, sicut proveniens a naturalismo philosophico in societatem atque in politicam infuso¹⁰⁶.

Massoneria autem vinculi matrimonialis dissolubilitatem atque Status instructionis obligatoriae laicae monopolium sustinet. «(...) Et sane disciplina morum, quae Massonum familiae probatur unice, et qua informari adolescentem aetatem contendunt oportere, ea est quam et *civicam* nominant et *solutam ac liberam*; scilicet in qua opinio nulla sit religionis inclusa. (...) Summa autem conspiratione voluntatum illuc etiam spectat secta Massonum, ut institutionem ad se rapiat adolescentium. (...) Quocirca in educatione doctrinaque puerili nullas Ecclesiae ministris nec magisterii nec vigilantiae sinunt esse partes (...)»¹⁰⁷.

¹⁰³ *Ibidem*.

¹⁰⁴ Litt. enc. *Humanum genus* (20.IV.1884), in ASS 16 (1883-1884) 417-433; *Act. Leon.*, 4, 43.

¹⁰⁵ LEO XIII, Lit. enc. *Diuturnum illud* (29.VI.1881), in ASS 14 (1881-1882) 4-14; *Act. Leon.* 2, 269-287.

¹⁰⁶ Secta massonica quoad conceptionem antropologicam, socialem atque theologicam errat. Consequenter, in explicationem matrimonii et educationis in errorem incidet.

¹⁰⁷ *Humanum genus*, §§ 12 et 14.

Deinde LEO XIII remedia contra haec mala additabat: «(...) nec providentiam putetis ullam fore tantam, quin sit adhibenda maior, ut iis adolescens aetas prohibeatur et scholis et magistris, unde pestilens sectarum afflatus metuatur (...) Immo qui adolescentulos ad sacra percipienda rite erudiunt, non inepte fecerint, si adducant singulos ut statuam ac recipiant, inscientibus parentibus, aut non auctore vel Curione vel conscientiae iudice, nulla se unquam societate obligaturos»¹⁰⁸.

Romanus Pontifex episcopis Britanniae scripsit, eis animum praestans ut scholas «liberas» aperirent¹⁰⁹.

Anno 1886 LEO XIII ad episcopos Hungaricos litteras encyclicas pervenire fecit¹¹⁰. Multi omnibus locis scholas neutras, mixtas atque laicas optabant, ut earum alumni sicut rerum sanctarum ignorantes crescerent, atque religionem obliviscerentur. Propterea, periculum impiam generationem efformandi existebat. Res cum ita essent, Romanus Pontifex populo catholico hungarico poscebat ut Ecclesiae iura ad suam missionem docentem evolvendam aestimatione haberentur, non solum in scholis elementaribus, sed etiam in studiis superioribus litterariis atque scientificis.

Iipse, anno 1893, litteras iisdem episcopis denuo

¹⁰⁸ *Ibidem*, § 25.

¹⁰⁹ LEO XIII, Litt. *Spectata fides* (27.XI.1885), in *Act. Leon.* 5, 162-165. Illas scholas liberas, a catholicis in Gallia, Belgica, America atque in coloniis Britanniae apertas, approbabat. Hoc specimen scholarum a Romano Pontifice Romae fomentatum erat.

¹¹⁰ LEO XIII, Litt. enc. *Quod multum* (22.VIII.1886), in *Act. Leon.* 6, 146-161.

missit¹¹¹: «(...) Maxime vero, Venerabiles Fratres, studia vestra in puerorum atque adolescentium institutione fixa et locata esse volumus (...). De primordiis scholis, instandum urgendumque est ut curioses ceterique animarum curatores summo in eas studio continenter evigilent, maximasque ponant officii sui partes in alumnis sacra doctrina erudiendis. Tale vero munus, nobile atque grave, ne alienae procuratori permittant, sed ipsi sibi assumant habeantque carissimum»¹¹².

Quoad scholas «neutras», in epistulis ad episcopos Neo-Eboracensis dioeceseos directis¹¹³, LEO XIII revocabat consilium praelatorum huius dioeceseos ne supradictae scholae approbarentur, quia instructione religiosa carebant. Ab omnibus tamen scholarum confessionaliū existentia necessaria esse videbatur; igitur Romanus Pontifex parentibus prohibebat ut eorum liberos ad scholas non-confessionales mitterent. Manifestandum erat catholicos etiam collaborare necessitatibus oeconomicis Status. Propterea iustum erat catholicos etiam habere scholas confessionales, quibus Status opem ferebat; saltem in scholis statalibus nihil contra catholicam religionem docendum esse videbatur.

Alias litteras episcopis bavarensibus scripsit¹¹⁴, in quibus affirmabat Deum Ecclesiae religionis docendi missionem contulisse, quia omnis homo indiget salu-

¹¹¹ LEO XIII, Litt. enc. *Costanti Hungarorum* (2.IX.1893), in ASS 26 (1893) 129-136; *Act. Leon.* 13, 228 ss.

¹¹² ASS, *l.c.*, 133.

¹¹³ LEO XIII, Litt. *Quae conjunctim* (23.V.1892), in *Act. Leon.* 12, 135.

¹¹⁴ LEO XIII, Litt. enc. *Officio sanctissimo* (22.XII.1887), in *Act. Leon.* 7, 219.

tem aeternam obtinere: quae missio solummodo Ecclesiae commissa est; nulla humana societas sibi eam vindicare potest. Igitur Ecclesia suum ius confirmat, et id, cum aestimatione minueretur, iusto titulo vindicare debet. Propterea rectores debent permittere Ecclesiae exercitium iuris docendi iuvenes, atque illis idoneos magistros eligendi.

LEO XIII, anno 1888, litteras encyclicas *Libertas praestantissimum*¹¹⁵ scripsit. «(...) De eo, quam *docendi libertatem* nominant, oportet non dissimili ratione iudicare. Cum dubium esse non possit quin imbuiere animos sola veritas debeat, quod in ipsa intelligentium naturarum bonum est et finis et perfectio sita, propterea non debet doctrina nisi vera praecipere, idque tum iis qui nesciant, tum qui sciant, scilicet ut cognitionem veri alteris afferat, in alteris tueatur. (...) Igitur apparet, magnopere cum ratione pugnare, ac natam esse pervertendis funditus mentibus illam, de qua institutus est sermo, libertatem, quatenus sibi vult quilibet pro arbitrato docendi licentiam; quam quidem licentiam civitati dare publica potestas, salvo officio, non potest. Eo vel magis quod magistrorum apud auditores multum valet auctoritas, et verane sint, quae a doctore traduntur, raro admodum diiudicare per se ipse discipulus potest»¹¹⁶.

¹¹⁵ LEO XIII, Litt. enc. *Libertas praestantissimum* (20.VI.1888), in ASS 20 (1888) 593-613; Act. Leon. 8, 212-246. Romanus Pontifex libertatem humanam ab anarchismo — a liberalismo proveniente — et a regiminibus dictatorialibus defendit. Secundum hanc pontificiam doctrinam, omnis humana lex positiva — quae regulat exercitium libertatis socialis et politicae — lege naturali submittenda est. Igitur, non licet rationem humanam tamquam dogma fundamentale considerare.

¹¹⁶ *Ibidem*, § 19.

«(...) Veri autem, in quo unice versari praecipientium doctrina debet, unum est naturale genus, supernaturale alterum. Ex veritatibus naturalibus, cuiusmodi sunt principia naturae, et ea quae ex illis proxime ratione ducuntur, existit humani generis velut commune patrimonium: in quo, tamquam fundamento firmissimo, cum mores et iustitia et religio, atque ipsa coniunctio societatis humanae nitatur (...). Nec minore conservandus religione maximus sanctissimisque thesaurus earum rerum, quas Deo auctore cognoscimus. (...) plane constat optimum homini esse certissimumque magistrum Deum, omnis fontem ac principium veritatis, item Unigenitum, qui est in sinu Patris, viam, veritatem, vitam, lucem veram, quae illuminat omnem hominem et a cuius disciplinam dociles esse omnes homines oportet (...). Sed in fide atque in institutione morum, divini magisterii Ecclesiam fecit Deus ipse participem, eamdemque divino eius beneficio falli nesciam: quare magistra mortalium est maxima ac tutissima, in eaque inest non violabile ius ad magisterii libertatem (...)»¹¹⁷.

Anno 1890, LEO XIII suam mentem circa christianam politicam patefecit: parentes, natura sua, ius educandi liberos habent, simulque ad filiorum instructionem adaptandam secundum eorum ultimum finem oblingantur¹¹⁸.

¹¹⁷ *Ibidem*, § 20. Postea LEO XIII de accomodatione atque de intransigentia versabatur (§ 30): «(...) Omnis enim libertas legitima putanda, quatenus rerum honestarum maiorem facultatem afferat, praeterea nunquam».

¹¹⁸ LEO XIII, *Sapientiae christianae* (10.I.1890), in ASS 22 (1889-1890) 385-404; *Act. Leon.* 10, 10-41. Vincula religiosa super obligationes civiles praevalere debet, quia divina lex superior stalis et humanae legis est.

Eodem anno 1890, ad catholicos Italiae Summus Pontifex scripsit¹¹⁹. De matrimonio «civili» atque de instructione laica tractavit. Romanus Pontifex familiam et scholam tamquam praeclaras ac fundamentales institutiones contra massonicas aggressiones considerabat¹²⁰.

In litteris ad episcopos Poloniae¹²¹, anno 1894, LEO XIII eos admonebat ut circa instructionem religiosam iuvenum aetati accomodatam valde solliciti essent.

Quaestio separationis non totalis inter Statum et Ecclesiam, in litteris ad episcopos austriacos, anno 1894 scriptis, apparebat¹²²: et Ecclesia et Status auxilio mutuo indigent; deinde, totalis separatio inter utrosque non bonum affert. Separatio illa vero in iuvenum instructione negativam repercussionem haberet: «Nihil sane deterius reique publicae nocentius quam ut opinio sit, civilem inter auctoritatem et Ecclesiam necessario dissidium esse (...). Hinc statum et Ecclesiam ab altero separandos contenditur perpe-

¹¹⁹ LEO XIII, Litt. enc. *Dall'alto* (15.X.1890), in *Act. Leon.* 10, 247 ss.

¹²⁰ «(...) Alla famiglia si è sottratta la sua base e la sua costituzione religiosa col proclamare quello che chiamiamo *matrimonio civile*, e coll'istruzione che si vuole al tutto laica, dai primi elementi fino all'insegnamento superiore delle Università; (...). Scalzare con tutti i mezzi il clericalismo (ossia il cattolicesimo) nelle sue fondamenta e nelle stesse sue sorgenti di vita, cioè nella scuola e nella famiglia, è la dichiarazione autentica di scrittori massonici». *Ibidem*, 250-251.

¹²¹ LEO XIII, Litt. enc. *Caritatis providentiaeque* (19.III.1894), in *Act. Leon.* 14, 65 ss. Eo tempore polonesi sub Russiae, Austriae, atque Germaniae dominatione stabant.

¹²² LEO XIII, Litt. *Ante vestrum* (1.V.1894), in *Act. Leon.* 14, 144.

ram: sed illos mutuo conjungi foedere necesse est, quod quidem si in ceteris, at in juventute probe instituenda vel maxime (...)».

Anno 1897, per litteras encyclicas *Affari vos*¹²³, cum de decretis in Manitoba (Canada) abhinc septem annos legislatis — in quibus pro catholicis educatio religiosa confirmata erat — commentarium faceret, LEO XIII actuales circumstantias explicabat, id est: rectores contra ius habendi educationem secundum propriam conscientiam decrevisse, quod nefas erat. Igitur, a scholis ubi e diversis confessionibus religiosi alumni indifferenter convenirent, fugire opus erat, quia in illis errores tamquam veritates considerabantur. Non prima vice Ecclesia scholas «mixtas» negative censurabat.

«(...) Ceterum incommoda legis Manitobensis, de qua loquimur, per se ipsa imonebant, opportunam sublevationem mali opus esse concordia quaerere. Catholicorum digna causa erat, pro qua omnes partium aequi bonique cives consiliorum societate summaque conspiratione voluntatum contenderet. Quod, non sine magna iactura, contra factum. Dolendum illud etiam magis, catholicos ipsos Canadenses sententias concorditer, ut oportebat, minime in re tuenda iunxisse, quae omnium interest plurimum: cuius prae magnitudine et pondere silere studia politicarum rationum, quae tanto minoris sunt, necesse erat».

¹²³ LEO XIII, Litt. enc. *Affari vos* (8.XII.1897), ad ordinarios foederationis urbium canadensium, circa scholas puerorum, in AAS (1897-1898) 356-362; Act. Leon. 17, 336 ss.

*Scholarum quaestio in Italia
et LEO XIII*

De facto in Italia politica laica et monopolistica habebatur. Ecclesia a pluribus quasi hostilis Statui cogitabatur. Populorum italorum unificatio causa fuit actitudinis contrariae Ecclesiae, episcopis atque Romano Pontifici.

Ab anno 1870 politica contra Ecclesiam catholicam initium habuit¹²⁴. Lectio duarum epistularum, quas ad Cardinalem Vicarium Romae, Dominum M. LA VALLETTA, scripsit LEO XIII, iuvabit nos ad comprehensionem mentis et cordis Romani Pontificis.

In prima earum loquebatur¹²⁵ de amaritudine Papae quoad ipsius Urbis Romae situationem; gemebat causa sophismatum librorum, fidei contrariorum, Ecclesiae rationes oppugnatum. Patebat omnibus in Urbe societates haereticas biblicas scholas fundavisse, dissimulato desiderio iuvenibus educatione adiuvare, tamen ad inimicam generationem contra Ecclesiam Christi constituendam.

¹²⁴ Cfr. G. ZOCCHI, *Della libertà d'insegnamento in Italia*, Milano 1876.

¹²⁵ LEO XIII, Litt. *In mezzo* (26.VI.1878), ad D. card. M. La Valletta, Vicarium Generalem Romae, in *ASS XI* (1878) 97-105; *Act. Leon.*, I, 74; *Anal. Iur. Pontif.* 1878, 737 ss.

«(...) non Ci mancano gravi amarezze per le condizioni generali della Chiesa sottoposta quasi da per tutto a fiera persecuzione, e per quello che vediamo accadere nella stessa Città di Roma, centro del cattolicesimo e Sede augusta del Vicario di Cristo. (...) scuole, asili ed ospizi aperti all'incauta gioventù coll'apparente filantropico intendimento di giovarla nella coltura della mente e ne' suoi materiali bisogni, ma col vero scopo di formare una generazione nemica della Religione e della Chiesa di Cristo (...). (...) Ma chi potrà affermare che l'insegnamento del Catechismo non abbia fatto fin qui buona prova? (...)».

Quia decretum erat Cathechismum a romanis scholis auferre, necesse erat ut omnes catholici naturali et positiva lege educarent liberos in supernaturalibus veritatibus fidei. Contra indifferentismum religiosum Romanus Pontifex necessitatem Cathechismi defendebat, quia veritatem et iustitiam ad illam societatem contemporaneam satisfaciendam ipse procurabat. Oportebat non producere in pueris dimidiationem intellectus et voluntatis, quia dum primus explicatur, etiam necesse est ut et secunda in ultimum finem consequendum evolvatur.

Homo — animal rationale et religiosum — ullo modo satisfacere potest desideria sua cum sola ethica naturali vel civili. Non datur progressus scientificus quod evellere possit ab anima humana eius radices religionis et fidei. Ergo Cathechismus magnum iuvamen pueris praestat ad finem ultimum cognoscendum atque contra inimicos suarum animarum oppugnandum¹²⁶.

Post fere annum, LEO XIII omnibus catholicis Urbis Romae denuo loquebatur per Cardinalem Vicarium¹²⁷. Romanus Pontifex de his lugebat: a) de negatione ab inimicis omnis potestatis Ecclesiae in rem publicam gerendam; b) de similibus iuribus diver-

¹²⁶ «(...) È lecito aspettarsi ogni gran cosa di un fanciullo, il quale nella scuola del Catechismo apprende di essere destinato ad un fine altissimo nella visione e nell'amore di Dio; che è fatto accorto a vegliare nel continuo sopra di sé stesso e confortato con ogni maniera di aiuti a sostenere la guerra che gli danno nemici implacabili (...). (...) il temperamento preso di apprestare l'istruzione religiosa solamente a quei fanciulli, pei quali i genitori ne faranno espressa domanda, è del tutto illusorio (...)».

¹²⁷ LEO XIII, *Litt. Nel giugno* (25.III.1879), in ASS XI (1879) 529-541; *Act. Leon.*, I, 202 ss.

sis confessionibus cultibusque concessis; c) de voluntate subtractionis publicae instructionis a cura auctoritateque Ecclesiae; d) propter nocivam permissionem doctrinarum haereticarum vel atheorum¹²⁸.

Finis «protestantium» erat diffusio haereticorum principiorum Romae, quae tamquam centrum influxus per totam paeninsulam constituebatur. Patebat oculis LEONIS XIII homines extraneos, dispensatione pecuniae, iuvare ad erigendas publicas scholas conatos esse, scholis catholicis impedimenta producentes.

Die 6 mensis Februarii anni 1888, M. COPPINO — pridie quam abdicavit se a ministerio guberni Italiae — emanavit novam rationem ad permittendam instructionem religiosam in scholis elementariis illis pueris, quorum parentes illam explicite quaesivisse, in diebus a consiliis scholasticis praestabilitis. Attamen, magister religionis docere debebat etiam omnes alias disciplinas.

Die 9 mensis Octobris anni 1895, minister G. BACCELLI nova ratione scholarum elementarium statuebat dum municipia instructioni religiosae provide-re debebant, alumni eligere poterant religionem ut materiam facultativam. Consilium scholasticum respectivum tamquam arbitrum ecclesiasticorum ingressus in scholis constitutum est. Status actitudo tolerantior forsitam esse videbatur; id tamen non ita erat,

¹²⁸ «(...) Ella ben sa, Signor Cardinale, che questa maniera d'istruire la gioventù fuori del benefico influsso della Chiesa fu introdotta anche negli Stati della s. Sede, man mano che furono tolti al legittimo regime del Pontefice; anzi, senza tener conto alcuno delle specialissime condizioni e del carattere singolare che Roma riveste agli occhi di tutti, per essere la Sede del Vicario di Cristo e il centro del Cattolicesimo, anche qui fu aperta all'errore la porta della più ampia libertà (...).»

quia ab anno 1862 usque ad 1897 religionis magistrorum ecclesiasticorum numerus in scholis publicis a 33,5% usque ad 5,39% minuit¹²⁹.

*Ephemeridis «La Civiltà Cattolica»
actitudo ante quaestionem scholasticam in Italia
regnante LEONE XIII*

Illius ephemeridis dissertatio — mensi Augusti 1891 —¹³⁰ hanc thesim explicabat: exclusio absoluta Christianismi in publica instructione putanda est tamquam realitas ab omnibus considerata, sed forsitam non ab omnibus satis ponderata. De facto iuvenes qui ad scholam accedebant in omnibus periti perveniebant, excepta religione¹³¹.

Haec thesis aliquantum exaggerata esse videretur, sed illam situationem, similem ac in aliis nationibus contemporaneis esse aexistimamus¹³².

¹²⁹ Cfr. E. APECITI, *op. cit.*, 310. LEO XIII, per Litt. *Custodi di quella fede* (8.XII.1892), in *Act. Leon*, 12, 331 ss., populo italiano denuo explicavit suam convictionem, ut inimici religionem catholicam pro naturalismo substituerent, atque fidei cultum sub imperium cultus rationis subicere conarentur. Romanus Pontifex conscius erat liberos pensatores atque massones sese scholarum publicarum sicut dominos considerare.

¹³⁰ [E. POLIDORI], *Il Cristianesimo escluso dall'insegnamento pubblico in Italia*, in *La Civiltà Cattolica*, 42 (1891) series 14, vol. 11, 385-398; vol. 12, 641-657.

¹³¹ «Un fatto che tutti vedono in Italia, ma non tutti studiano forse abbastanza, è l'assoluta esclusione del Cristianesimo dal pubblico insegnamento». *Ibidem*, 385. Sublineatio nostra est.

¹³² Cfr. F. DE LASALA, *Santo Domingo de Orihuela: un colegio de jesuitas en la España del siglo XIX*, in *Archivum Historicum Societatis Iesu*, vol. LIX (1990) 105-116, in p. 111 opinionem p. J. NONELL referimus: (*El Ratio Studiorum de la Compañía de Jesús*, Barcelona 1878, 6): «[...] Observando [...] el lamentable estado

Auctor dissertationis affirmabat auctores novi scholarum programmatis Dei augusti nominis pudere, atque de his tantum scribere: de «officiis religiosis, officiis erga seipsos, officiis erga alios»¹³³.

*Scholastica quaestio in Gallia
tempore LEONIS XIII*

In litteris encyclicis circa gallicam quaestionem religiosam (1884)¹³⁴ Romanus Pontifex patefecerat situationem illius nationis, perdurante Tertiae Rei Publicae regimine, quod die 4 Septembris anni 1870 exoriebatur. Rei Publicae praesides, J. FERRY, Congregationibus Religiosis omnis activitatis docentis exercitium suppressit (1880), atque anno 1882 in omnibus gradibus studiorum, tamquam obligatoriam, «laicam» instructionem decrevit. Igitur tantum instituta ad Statum pertinentia potestate legali instructionis fruita sunt.

Deinde omnium religiosorum institutorum capacitatis legalis suppressio evenit¹³⁵. Catholicismus in

de postración en que se halla la enseñanza, mayormente la oficial, en nuestros días, es oportuno preguntarse: ¿cuál es la causa que esteriliza tantos generosos esfuerzos [...], para promover la educación de la juventud?. ¿De dónde nacen la superficialidad en los convencimientos, la confusión en las ideas, la incoherencia en las opiniones y en los principios, la desaplicación de los alumnos?».

¹³³ *Il cristianesimo escluso dall'insegnamento...*, 395.

¹³⁴ LEO XIII, Litt. enc. *Nobilissima Gallorum gens* (8.II.1884), in ASS 16 (1883-1884) 241-248; *Act. Leon.*, 4, 10.

¹³⁵ Consequenter, quoad religiosam instructionem, quatuor saltem periodi differentes durante Tertia Republica Gallica considerari possunt: 1870-1879; 1879; 1880-1882; 1882-1914; tandem, anno 1889, tempore WALDECK-ROUSSEAU, Congregationes Religiosae persecutioni subiectae sunt.

Gallia infirmabatur. Catholici autem, quoad politicam quaestionem, inter se dividebantur: dum LEO XIII suadebat ut malum minore, determinatis circumstantiis, elegerent, cum catholicorum abstentio in re politica plurima mala omnibus gentibus trahere posset¹³⁶.

Scholastica quaestio in Belgica tempore LEONIS XIII

Belgici «liberales» pluribus annis pugnaverunt in favorem correctionis legis circa scholam elementarem anno 1842 promulgatae. Secundum hanc legem, clerici ampliis facultatibus interventionis in publica schola gaudebant. Liberales autem in suffragiis anno 1878 celebratis vicerunt.

Die prima mensis iulii anni 1879 nova lex scholastica promulgata est, id est, illa dicta «infortunata», propter quam Status maiorem potestatem circa educationem, damnata catholica libera instructione, accipiebat. Catholicis belgicis necesse fuit oppositionem in favorem liberae instructionis facere. Religionis disciplina in programme instructionis publicae plane aberat¹³⁷.

¹³⁶ Apud Litt. *Nobilissima Gallorum gens* LEO XIII catholicis gallicis iussit ut regimen rei publicae gallicum, sicut in his circumstantiis erat, palam acciperent, id est, «ralliement» versus Rem Publicam actualem acceptarent. Ceterum, illos exhortabat ut omnibus instrumentis Constitutionis uterentur ad omnia Ecclesiae periculosa evellenda, speciatim quoad instructionem christianam referebantur.

¹³⁷ Lex nova scholastica praevedebat ut in omni schola aula specialis ad religionis instructionem a ministro religioso dandam, antea vel post lectiones normales, esset. Tamen, apud scholas speciales ad efformandos futuros magistros religio, tamquam disciplina, praevisa non erat. Cfr. R. AUBERT, *Chiesa e Stati euro-*

Ab initio sui pontificatus LEO XIII ad aures catholicorum «constitutionalium» Belgicorum pervenire fecit eos non erravisse; immo, catholicos «intransigentes» admonuit ne inimicos politicos oppugnarent. Cum Romanus Pontifex LEOPOLDO II regi scripsisset, non solum ei dolorem manifestavit propter legem anni 1879, sed etiam eum certiolem fecit eadem pericula, quae comptentio auctoritatis divinae quoad puorum instructionem considerata erant, in Italia, immo Romae, adesse¹³⁸.

Emmus. Cardinalis V. DESCHAMPS¹³⁹ epistolam

pei. I. Francia, Belgio, Olanda e Lussemburgo, Spagna e Portogallo, in AA.VV., *La Chiesa e la società industriale (1878-1922)* (curantibus E. GUERRIERO et A. ZAMBARBIERI), in *Storia della Chiesa* (ab A. FLICHE et V. MARTIN initiata), XXII/1, Torino 1990, 337-398. Speciatim pp. 366-369, ubi fontes atque bibliographia sunt.

¹³⁸ LEO XIII, epist. *Les conditions internes* (4.XI.1879), ad Regem LEOPOLDUM II, in *Annales Iuris Pontifici*, 1880, 517. Cum laicismus apud belgicam nationem in augmentum perveniret — iam ab anno 1850 crescere inceperat —, atque catholici inter se dividerentur, gubernium nationis belgicae — cuius magna pars catholica erat — in suffragiis anni 1878 celebratis, corruit, atque lex «infortunata» anni 1879 approbata est. LEO XIII commentabat: «(...) Cette nouvelle loi belge sur l'enseignement, Sire, proposée par de personnes peu amies de l'Église et de la religion catholique, doit nécessairement attrister vivement le Souverain Pontife, gardien de la vérité et défenseur de la justice. En effet, la nouvelle loi méconnaît l'autorité donnée par Dieu aux évêques sur l'éducation religieuse et moral de la jeunesse; elle n'admet pas l'enseignement de notre très sainte religion pour base de l'instruction du peuple; (...)».

¹³⁹ V. DESCHAMPS (1810-1883), episcopus Mechelensis ab anno 1867, atque card. ab anno 1875, brachio forti politicam ecclesiasticam in natione belgica dirigebat. Liberalium politica tamquam periculum religionis libertati existimabat, quia in illa specie liberalismi aliquam sicut religionem Status observabat.

pastoralem collectivam subscripsit, qua, sub poena exclusionis a Sacramentis, decernebatur ne parentes suos filios in scholas publicas, legi anni 1879 submissas, mitterent, si in eadem urbe vel in pagis propinquis schola catholica adesset.

Brevi tempore, plures scholae «liberae» creatae sunt, ita ut initio anni 1880 haec sors scholarum recipiebat numerum 63,5% puerorum belgorum, cum numero altiori in provinciis flandrensibus.

Amicitia inter Vaticanum et Belgium fracta est a Belgicis mense iunio 1880, quia Romanus Pontifex zelum illorum episcoporum contradicere noluit¹⁴⁰.

Paucas post hebdomadas LEO XIII cum cardinalibus suam rationem ante consummata facta contulit¹⁴¹: agere voluit de «iniuria longe maxima supremae auctoritati Nostrae et huic Apostolicae Sedi haud ita pridem imposita», praesertim circa litteras dimissorias a gubernio belgico traditas Legato Pontificio «nulla iusta causa». Pontifex desiderabat «(...) ut omnia proferentur in lucem veritatis». Tamen, LEO XIII censebat scopum Ecclesiae inimicorum esse potestatem Sanctae Sedis a Deo receptam evellendi. Potestas quidem «(...) uti salva iis perpetuo ea securitas ac libertas esset, qua nihil est magis in gerenda christiana republica necessarium».

Sancta Sedes scholas «neutras», in quibus sicut Deus non esset ita procedebatur, admittere minime poterat¹⁴². Romanus Pontifex addebat: «(...) Nostis,

¹⁴⁰ Cfr. *Collection de documents publiés par le St.-Siège relatifs à la question de l'instruction primaire en Belgique et à la cessation des rapports diplomatiques*, Malines 1880.

¹⁴¹ LEO XIII, Alloc. ad card. (20.VIII.1880), in ASS (1880) 49-55; Act. Leon. II, 114.

¹⁴² LEO XIII, apud litteras ad LEOPOLDUM II, affirmabat: «(...) Nous-mêmes, obligés de combattre les mêmes périls en Ita-

Venerabiles Fratres, indolem huiusce legis atque rationem [ad legem anni 1879 referebatur]. Profecto in ea condenda hoc maxime consilium atque hanc sententiam fuisse apparet ab auctoritate catholicae religionis, vel a pueritia, adducere animos, institutionemque iuventutis, remota qualibet Ecclesiae providentia, civilis potestatis imperio volutatique reservare (...). Etenim ea lege decernitur, in educatione puerili nullas esse debere sacrorum Pastorum partes, nullas Ecclesiae vigilantiam; dissociatisque penitus a religione litteris, ab eruditione puerorum, si ipsa publicarum scholarum ratio et disciplina spectetur, omnem de religione doctrinam abesse praecipitur: quod perfacile cernitur quam sit fidei et moribus ineuntis aetatis periculosum».

5. SANCTI PII X PONTIFICATUS (1903-1914)

PIUS X conscius erat opportunitatis laicorum activitatis in Ecclesia. Munus catholicis laicis commissum influxum habuit in negotio scholarum libertatis. Talis sese gerendi ratio, simul cum affectu parochis dispensato, pueris ac adultis eruditioni christianae doctrinae incrementum dedit, auxilium proinde praestans scholarum alumni, qui catechismum in schola non audivissent.

lie et jusque dans nôtre Rome pontificale, Nous leur avons servi d'exemple [ad episcopos nationis belgicae] pour ouvrir au bas âge des écoles sincèrement catholiques (...).

Nova lex belga episcoporum atque catholicorum omnium belgicorum oppositionem producebat, «(...) parce qu'elle s'éloigne par trop des enseignements de la doctrine catholique, et c'est pour celà que les évêques belges, malgré la différence de leurs tempéraments et de leurs caractères, se sont trouvés d'accord et unanimes (...).

Primo visu videri posset ut, in prima quarta parte saeculi vigesimi, quaestio scholarum non adesset, quia «Modernismi» problemata magis existimarentur. Attamen, Pius X tamquam propriam habuit doctrinae christianae quaestionem¹⁴³.

Pius X contra anticlericales rationes atque contra Modernismi confusionem doctrinae pugnavit. Aeque animo coram progressu modernarum scientiarum atque methodo historiae criticae adstitit. Pro instructione religiosa egit, atque structuram adaequatam promovit, viam sequens uniformem, ad unum Catechismum docendum. De facto, *Doctrinae christianae Compendium*, anno 1905 ad usum Provinciae Romanae dioecesium publicatum est¹⁴⁴.

Anno 1910 PIUS X motui ecclesiali ad Primam Communionem anticipandam initium dedit¹⁴⁵.

Processus scholarum «laicizationis» in Italia finem attinxit cum *Programmi e istruzioni per le scuole elementari* (29.I.1905), in quibus religiosa instructio derelicta est, atque in programmatis capite moralis

¹⁴³ L. GUGLIELMONI, *La sua preoccupazione: l'insegnamento della dottrina cristiana*, in AA.VV., *I Papi del XX secolo. Cento anni di storia della Chiesa: protagonisti e problemi*, Torino 1990, 56-58.

¹⁴⁴ Agebatur de textu ex quodam Catechismo a canonico G.M. GIACCONE olim composito. Plurimae expressiones ex J.B. BOSSUET, R. BELLARMINO, atque e *Catechismo Romano* captae erant. Iam anno 1765 in provinciis ecclesiasticis Pedemontana, Liguria, Lombarda, Aemiliana et Toscana utebatur. Textus *Catechismi* anno 1912 publicatus (*Catechismus Doctrinae Christianae*) a Pio X personaliter correctus est, atque Ipse manifestavit suum desiderium ut in omnibus dioecesibus adoptaretur. Cfr. AAS 4 (1912) 690-692.

¹⁴⁵ PIUS X, decretus *Quam singulari* (8.VIII.1910), in AAS 2 (1910) 582 ss.

educatio ac instructio civilis collocatae sunt: alumni tamen, erga magistrum atque parentes oboedientiam et reverentiam, erga infirmos pietatem, erga genitores gratitudinem habere conarentur. Erat alumnorum has omnes exercitare virtutes: honestatem, sacrificium, animositatem civilem, patriae amorem, legibus ac auctoritatibus civilibus reverentiam, simulque militaris servitii et tributorum solutionem. Ad hanc vitae rationem consequendam lectiones a paedagogicis scriptas, simul cum «electis» Evangeliorum fragmentis, audire debebant¹⁴⁶.

Conclusiones

Conscii sumus huius laboris extensionem non adhuc satis esse ad visionem plane completam offerendam de libertate instructionis christianae in scholis. Attamen, nostra est opinio exempla quae in nostro studio apparent valde significationem praestare.

Homines persuasi sunt magni valoris educationis ad societatem civilem efformandam; igitur, rectores nationum, per viam instructionis in scholis populo datam, societatis transformationem secundum ipsorum desideria tamquam scopum habent. Sed non semper rectorum consilia optima sunt, immo contra Evangelium saepe procedunt, quia fidem in Deum extra aream scholasticam relinquunt, simulque iustitia et amor non tamquam in Deo fundatae considerantur.

Schola catholica, quae nostris oculis in hoc articulo apparuit, non semper libertate fruebatur, quia peculiares circumstantiae politicae ei libertatem impediebant.

Magistri catholici pueros in scholis instructionem

¹⁴⁶ Cfr. I. ZAMBALDI, *op. cit.*, 663.

religiosam impertire semper desideraverunt; quae, tamen, in scholis publicis a guberniis «liberalibus» s. XIX erectis, spatium valde limitatum permittebatur.

Oportebat ut Ecclesia ad «modernam» conceptionem educationis perveniret. Hoc, tempore pontificatus Pii XI, satis notum est, et in Concilio Vaticano II palam manifestum est. Attamen, temporibus Pii IX, LEONIS XIII et Pii X hic processus iam inceptus erat. Eodem tempore, aliqui Status moderni principium subsidiarietatis, non sine difficultate, paulatim egerunt: in Hollandia et Belgica scholae catholicae auxilia oeconomica a Statu receperunt. Tamen in aliis nationibus problemata gravia subsisterunt, quia a) scholis «mixtis» a Statu fautae sunt, aut b) dum Status scholis confessionalibus — catholicis inclusis — auxilium praestavit, situatio compromissa inter Statum et Ecclesiam creata est. Unde magistri catholici rationem studiorum «laicam», immo aliquando paganam, a Statu subtiliter impositam, sequi coacti sunt.

Ecclesia temporis Pii IX quaestionem «saecularitatis» societatis vixit; aggressiones a «liberalibus», a socialistis atque a sectis massonicis provenientes supportavit; difficultates unionis alumnorum catholicorum cum protestantibus passa est; «quaestionem romanam», cum omnibus consequentiis ex ea derivantibus, sustulit; Concordata cum Hispania et Austria non facile subscripsit; immo, Romae scholas non catholicas tolerare debuit. Igitur, huius temporis vita Ecclesiae plus passiva quam activa esse videretur. Attamen, nobis in memoriam illorum temporum christifidelium activitatem revocare opus est: catholici autem in nationibus Europeis plurimas ephemerides publicabant, in quibus suas opiniones, saepe «ultramontanas», manifestabant. Religiosorum instituta ad iuvenum educationem vocata magnum influxum exer-

cuerunt, ea praesertim quae sub specie «saecolari», tempore persecutionis, adolescentium formationi sese dederunt.

Perdurante LEONIS XIII pontificatu, Ecclesia, quoad quaestionem scholasticam attinet, sicut magis experientiam habens adlaboravit. Positiones gubernorum in dies firmatae sunt; quapropter Romanus Pontifex ad animos catholicorum inter se divisos solidare laborem impendit. Pluribus catholicis LEO XIII tamquam nimis audax visus est, quia catholicis gallicis «ralliément» versus regimen politicum Rei Publicae consiliavit. Ceterum, ad unionem inter fidem ac scientiam promovendam animum notabiliter excitavit. Habitum plus «positivum» quam «passivum» ante res novas sustinuit, atque contra «libertatem docendi» — sub aspectu negativo consideratam — sese manifestavit. Teologia et anthropologia (Revelatio a Iesu Christo facta, simul cum Eius docendi missione Ecclesiae concredita) tamquam fundamentum instructionis christianae confirmavit.

Concilium Vaticanum II, nobis momentum libertatis scholarum catholicarum recordatur: «(...) haec S. Synodus ius Ecclesiae scholas cuiusvis ordinis et gradus libere condendi atque regendi, in plurimis Magisterii documentis iam declaratum, denuo proclamat, in memoriam revocans huiusmodi iuris exercitium libertati quoque conscientiae et parentum iuribus tuendis necnon ipsius culturae profectui summopere conferre» (GE 8 b). Tamen problemata quae annis saeculi XIX atque partis primae saeculi XX surrexerunt nostris temporibus etiam perdurant. Solutiones a Romanis Pontificibus olim propositae, tamquam fontes canonum Codicis, hodie nobis magistrae esse possunt.

FERNANDO DE LASALA, S.J.